

40 scio. (*PA. intus*) miseram me, differor doloribus!

Iuno Lucina, fer opem! serva me obsecro! *HE.* hem  
numnam illa quaeso parturit? *GE.* certe, Hegio. *HE.* em  
illaec fidem nunc vostram inplorat, Demea:  
quod vos vis cogit id voluntate impetret.

490

45 haec primum ut fiant dēos quaeso ut vobis decet.

sin aliter animu' voster est, ego, Demea,  
summa vi defendam hanc atque illum mortuom.

cognatu' mihi erat: una a pueris parvolis  
sumus educ[a]ti; una semper militiae et domi

495

50 fuimus; paupertatem una pertulimus gravem.

quapropter nitar faciam experiar, denique  
animam relinquam potiu' quām illas deseram.

quid mihi respondes? *DE.* fratrem conveniam, Hegio;  
is quod mi de hac re dederit consilium id sequar.

499<sup>a</sup>

55 *HE.* sed, Demea, hoc tu facito cum animo cogites:

500

quam vos facillime agiti', quam estis maxume  
potentes dites fortunati nobiles,

tam maxume vos aequo animo aequa noscere  
oportet, si vos volti' perhiberi probos.

60 *DE.* redito: fient quae fieri aequomst omnia.

505

*HE.* decet te facere. Geta, duc me intro ad Sostratam.—

*DE.* non mē īdicente haec fiunt: utinam hic sit modo  
defunctum! verum nimia illaec licentia  
profecto evadit in aliquod magnum malum.

65 ibo ac requiram fratrem ut in eum haec evomam.

510